

I. N. D. O. M.

DISSERTATIO ACADEMICA.

*Studii Oeconomici in Virtutum
Culturam Influxum,*

paucis ostensura,



QUAM

Consensu Ampl. Facultatis Philosophicæ in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

Mag. JOH. BILMARK,

HISTORIAR. AC PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORDIN.

PRO GRADU

Publico Examine modeste submittit

GUSTAVUS STRENG,

Nylandus,


In Auditorio Majori die 12 Maji. 1798.

HORIS A. M. CONSUETIS.



ABOÆ

In Officina FRENCKELLIANA.



PRÆFATIO.

Sicut quotidiana nos generatim docet experientia, diversitatem ingeniorum humanorum non esse minorem, quam saporum varietatem, juxta tritum illud proverbium: *quot capita, tot sensus*; ita ex Historiarum monumentis speciatim invenimus, quovis ævo eisdem scientiis, artibus & vitæ institutis non par statutum fuisse pretium. Horum enim fide constat, cum cuivis seculo suum esse quasi genium, tum eam orbi incubuisse tempestatem, qua homines, qui animi & corporis dotibus se præ cæteris valere crediderunt, iis potissimum distinerentur exercitiis, quibus amplissimam, quantumvis reapse vanam, consequi possent gloriam. Maluerunt igitur tales, in peregrinis oris & inter ancipites periculorum casus, *suas alienasque fortunas spe metuque versare*, ceu loquitur TACITUS (a), ut laurea domum referre possent ferta, quam donis, a bona matre sibi destinatis, sed sudore ex hujus gremio expromendis, juxta suos penates in pace & otio frui. Qua factum est persuasione, ut opera manuarum & quæcumque internam familiæ constitutionem ac procuracionem spectabant, sibi, utpote ingenuis & altiora spirantibus, non convenire opinarentur; hæc proinde negotia servis ac libertis administranda relinquentes. Et quum

A

forte

forte non paucorum animis arrogans hæc etiamnum in-
 hæreat opinio & rei familiaris incuria, nobis, alterum spe-
 cimen Academicum edituris, haud incongruum visum,
 paucis hisce pagellis ostendere, Studii Oeconomici in vir-
 tutum culturam influxum; in antecessum vero B. LECTO-
 RIS æquanimitatem & mitiorem censuram, quo par est,
 verborum honore nobis expetimus.

(a) *In libro de Moribus Germaniæ Cap. XLVI p. m.*
463. ex Edit. ERNESTI.

§. I.

Quamvis sensus verborum, in dissertationis hujus ru-
 bro occurrentium, ex nulla forte laboret ambiguitate, ju-
 vat tamen, ut propositi argumenti tractatio facilius insti-
 tuatur, eorum explicationi nonnihil inhærere. Per Oeco-
 nomiam itaque intelligimus scientiam, licito modo com-
 parandi, conservandi & administrandi ea bona, quibus
 homines possunt egestati subvenire, & vitam suam suffi-
 cienti rerum necessariorum copia reddere commodiorem
 (a). Studium igitur Oeconomicum indigitat operam sci-
 entia modo memoratæ impensam. Virtutis autem nomi-
 ne intelligimus firmum ac continuum studium officia
 Deo, nobis ipsis & aliis debita, ad tenorem Legis Natu-
 ralis ita præstandi, ut nec proposito, nec motivis, nec al-
 liis actionum nostrarum circumstantiis ulla adhæreat cul-
 pa. Ex quibus definitionibus satis apparet, quorum no-
 stra tendat disquisitio. Quantum autem virtutum cultori
 studium proficit Oeconomicum, vel ex Marci Porcii CA-
 TONIS effato, ita scribentis, patet: *Majores nostri virum*
bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bo-
numque colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita
laudabatur: (b). Scilicet præcipuam Oeconomi operam in
agricis

agris bene colendis versari, veteres existimabant Romani.

(a) Ex paucis illis, quæ supersunt, capitibus τῶν οἰκονομικῶν ARISTOTELIS colligere licet, Philosophum œconomicæ nomine intellexisse potissimum scientiam officiorum, a membris trium societatum minorum, utpote Conjugalis, Paternæ & Herilis observandorum, adeoque ambitu Ethicæ comprehendendam. SOCRATES autem per œconomiam indigitavit non tam Philosophiam Moralem, quam scientiam, vitam per opes legitime partas feliciter transigendi; qua de re nemo dubitat, qui XENOPHONTIS τὸν οἰκονομικὸν λόγον inter Socratem & discipulum suum Critobulum perlegerit, vid. *Memorab. Socratis Libr. IV. (b).* vid. *Proœmium reæ rusticæ*

§. II.

Neminem forte fugit, qui vel aliquam habet œconomicæ notitiam, studii œconomici objecta esse vitæ nostræ sustentationem, commoditatem ac securitatem. Intelligimus vero per *Sustentationem* præsentiam & usum rerum ad vitæ & sanitatis nostræ conservationem necessariarum, per *commoditatem*, complexum rerum, molestiis actionum nostrarum minuendis, nec non innoxiiis tubinde voluptatibus inservientium, per *securitatem* denique tutamen vitæ, membrorum, existimationis & honorum contra aliorum læsiones. Sunt autem res istæ vel *Physicæ*, quarum substantiam beneficæ naturæ totam debemus, vel *civiles*, quas nostra quidem prudentia & industria, sed medianibus rebus physicis, nobis comparamus. Porro notandum, res, necessitatibus nostris physicis subvenientes, diversimode pro diverso regionum situ & varia indole distribuisse Sa-

plentissimum & optimum Numen, nec quæ in nostris reperiantur oris sponte sua se nobis offerre, sed eorum sufficientiam & usum multo labore esse redimendum. Nemo enim mortalium, quanta etiam cunque polleat potentia, suis solis viribus, licet eas maxime intendat, quidquam, ne minimum quidem pulvisculum, producere valet; opera sua in eotota versante, ut res naturales obtentas modo, œconomiz naturæ conveniente ac circumspicte administret; quo illis præbeatur occasio fertilitatem sibi insitam exerendi, & suis rite applicentur usibus; quorum prius, Deo benedicente, præstatur sine ulla œconomi opera. Bene enim Apostolus PAULUS οὐτε ὁ φύσκων ἐστὶ τῆ, οὔτε ὁ πείζων, ἀλλ' ὁ ἀν-
 ξένων Θεός. 1 Cor. III. 7.

§. III.

Hisce præmissis dispiciamus, quomodo ad cultum Dei, quo complexus omnium officiorum, quæ ex amore reverentiæ & obedientiæ proveniunt, in elligitur, studium Œconomicum nos quasi manuducat. Scilicet dum Agricola, valet idem de alio quocumque alius œconomiz partis alumno, semina, totidem naturæ munera, solo probe subacto committit; hujus artis imperitus in eam facile induceretur opinionem, illum sibi male consulere, quod bona sua puredini tradat & plane disperdat. Vertitur autem præjudicium in admirationem, dum paucos intra dies occatum semen e terra protrudit virescentem herbam, futuræ messis spem haud dubiam. Quum ad hanc naturæ operationem parum laboris, nullas vero substantiæ particulas, ille contulerit, sed hæc velut injusta virescant, œconomus non potest non suspicere summam Numinis & potentiam, quæ tales vegetandi vires corporibus plane inanimatis concessit, & sapientiam, qua hæc se exserunt juxta convenientissimas regulas, & præcipue bonitatem, qua hæc

hæc naturæ produda in multiplicem creaturarum suarum
 usum indulgit. Immo nisi callum sui duxerint sensus,
 motivis illis excitabitur ad benefactorem adeo munificum
 amandum, de eo maxime sollicitus, quomodo ad suam
 voluntatem se componat, eum veneretur, gratias, quan-
 tas potest, agat habeatque maximas & suam ita declaret
 pietatem. Sed dicat forte quispiam, amorem dicto mo-
 do accensum, non esse purum, sed mercenarium, & qua-
 talem, improbandum. Relinquamus autem Mysticis amo-
 rem Dei purum, concedamus etiam $\frac{7}{8}$ mercenarium im-
 portare aliquid a magnis ingeniis alienum; attamen res ip-
 sa seu amor & cultus Dei, cujus incentivum sunt per-
 cepta Dei beneficia, nequaquam erit improbandus. A-
 mor enim non nascitur, nisi ex mutua inter duas perso-
 nas relatione, quarum altera ad alterius perfectionem au-
 gendam confert; qui igitur urget, ut Deum propter emi-
 nentes suas perfectiones, seposita beneficiorum suorum
 consideratione, amemus ac veneremur, veram amoris
 ac cultus indolem ignorat. Quid? quod Deus ipse, sic-
 ut optimus, ita suis beneficiis homines ad se colendum
 invitet. Speciatim Agricola, suam sæcum expendens for-
 tem, tot bonitatis Divinæ documenta tam in rerum ne-
 cessariarum incremento, quam in negotiorum suorum
 successu quotidie animadvertit, quot ipsum commovent,
 saltem commovere debent, ad Eum, ante & super omnia
 amandum & colendum, cujus sunt omnia. En! igitur
 qua ratione studium oeconomicum in culturam pietatis
 influat.

§. IV.

Studii Oeconomici habitum ad officia nobis ipsis præ-
 standi expensuris, theatrum aperitur multarum considera-
 tionum. Ceu notum supponimus, summam horum offi-
 ciorum ad duo generalia revocari posse præcepta: quare

tam animæ, quam corporis tui perfectionem, modis tamen sanæ rationi ac tuæ naturæ convenientibus. Quid? igitur utroque hocce respectu cordatus agit œconomus? Vi sui muneris & suæ inclinationis obligatur, res sibi comparare, necessitatibus suis physicis subventuras, quas vero dum intra arborum suorum aream non omnes invenit, tales, experientia prævia, ex eis sibi procurat locis, in quibus earum est copia & minimum proinde pretium. Sciens præterea, res creatas non uni simpliciter usui singulas esse destinatas, sed eas diversimode nobis prodesse, tam seorsim, quam cum aliis adhibitas; per Arithmeticam Combinatoriam, utique in plerisque magis naturalem, quam scientificam, computat rationem, qua maximum ex opibus suis percipiat lucrum, viribus naturæ in suæ industriæ subsidium adhibitis; quibus negotiis jugiter intentus, aciem intellectus magis excolit, illudque assequitur, ut probe sciat quid sui valeant humeri, & quid ferre recusent. Nec præsentibus rebus totus acquiescit œconomus, sed mentem suam armat futuri providentia; quamobrem nec in diem vivit, sed redditibus suas necessitates partim attemperat partim subordinat, ut futuris usibus, si minus sufficiat, attamen non penitus succumbat, adeoque in secundis moderate se gerit, nec in adversis animum despondet, sed æquabilem servat animum, desiderii & affectibus suis frena rationis injiciens, quod non ultimum est agræ voluntatis remedium, ceu in Philosophia Morali plenius ostenditur. Studio præterea sibi necessaria comparandi œconomus sollicitiam eadem rite dispensandi annectit, ne fundus opulentia exhaustiatur, sed aliquid in futuros nec prævidendos casus seponatur; memor cum quod parcimonia magnum sit vectigal, tum quod non minor sit virtus, quam quarere, parva tueri. Interea vero anima, hoc modo exulta, corpori, suo ministro, labores indicit, non immodicos, sed ad motus vitales & ad negotia quævis œconomica necessarios; proindeque sanat; corpo,

corporis conservandæ, vitæ commodiori obtinendæ nec non viribus nostris firmandis inservientes; quæ cuncta rite peracta efficiunt, ut officia nobis ipsis debita majori facilitate quin & hilaritate præstemus.

§. V.

Hoc autem loco caperatam quis forte ducet frontem, existimans, nostram philosophandi rationem eo minus esse probandam, quod sub œconomix nomine studium discendi & commodam vitam degendi comprehendamus, hoc autem cum continuo, quem illa exoptulat, labore consistere non posse. Nos certe haud fugit, Eruditos fuisse, ingenii gloriam captaturos, qui speciosis argumentis præstantiam paupertatis præ opum possessione ostendere sint annisi, quorum autem plerorumque vita ab ipsorum argutiis fuit dissona; quum omnem moverint lapidem, ut suos continuo auferent thesauros, ne præsidia vitæ necessaria aliquando desiderare cogerentur. Immo si horum ratiocinia ad vivum refecamus, facile inveniemus, quod paupertatis nomine haud intellexerint egestatem, vel omnem rerum necessariorum inopiam, sed mediocrem vitæ censum, opum affluentiam & splendori oppositum; quin autem hic virtutum culturæ tantum profuerit, quantum illa eidem obfuerit, nemo fere dubitat. Nec minus errant, qui sibi aliisque persuadent, commoditatem vitæ cum impigro labore consistere non posse. Qui hanc fovent opinionem, in ipsum Deum sunt injurii, nihil sine labore hominibus largientem, & oblitum videntur, pleraque, quæ nobis in labore nostro occurrunt molesta, talia esse, quia justo ordine ac tempore non sint suscepta. Experientiam testamur, nos adfatim docentem, homines adfuis laboribus inde ab infantia adueros, mancipia & servos hinc tamen excipiamus, tædio feriarum magis, quam nego-

negotiorum capos, eosque serena animi tranquillitate, corporisque robore gavisos, dum ignavi lupino otio, veluti lenta rabe, consumuntur & variis affliguntur morbis. Nec magis acurate suos subducunt calculos, dicam nobis scribentes, quod vitam commodam a virtutum cultura haud alienam existimemus, opinantes illam diffidiæ, molliciei & aliis vitiis occasionem præbere. Enimvero commodas vitæ, quam nos respicimus, non nascitur ex Majorum ingentibus opibus, per longam annorum seriem congestis, sed ex cujusvis œconomi studio, qui tunc etiam negotiosus est, dum otiosus videtur, adeoque illa bonos mores magis provehit, quam eos impedit.

§. VI.

Pergimus, adhuc visuri, quantum œconomia studium valeat in exercitio officiorum, aliis debitorum. Hac igitur licet varii sint generis, dispesci tamen præcise solent in *Perfecta*, & *Imperfecta*. seu communiter nuncupari fuerunt; adeoque res eo redit, ut ostendamus, præstationem officiorum utriusque hujus speciei esse œconomo, quam rem suam familiarem negligenti, faciliorem. Et primo quidem, quod officia attinet imperfecta, notum est, horum alia sine onere & molestia, non tamen sine quadam cura præstari, quorsum officia innoxie utilitatis pertinent, alia vero cum quodam præstantis dispendio, at tamen voluntario fieri, uti beneficia; utrisque peragendis aptissimus est œconomus, utpote & nihil leviter tractans, & minutis etiam circumspersionem advertens & rem suam domesticam ita instituens, ut bona etiam in alios, prout sua vel benignitas vel humanitas suggerit, absque sensibili opum suarum jactura conferat. Quod officia perfecta attinet, experientia docet, eadem tantum non omnia commutatione quadam rerum vel operarum absolvi, & generalibus hisce factorum formulis posse compre-

hendi:

hendi: Do, ut des; do ut facias; facio, ut des; facio ut facias. Quum itaque in his res interveniant, ita ut operæ etiam respectum rerum habeant, opes autem prudenti & industrio œconomio suppetant, nec hic cum ullo paciscatur, nisi modum habeat conditionibus pacti ex condicito satisfaciendi, sequitur, œconomum fidem dictorum & conventionum, quæ multarum virtutum, imprimis civilium, est basis, vix unquam fallere; probe enim scit, quod ceterorum animos a se alioquin averteret. Sed dicat forte quispiam: œconomos haud paucos, pro ea, qua distinentur, divitiarum cupiditate, non raro cavillari, præsertim si spes magni lucri eis atfulgeat; quod licet simpliciter non negemus, attamen sicut avaritia non est vitium œconomis commune, sed dulcis odor lucri nonnullorum tantum pectora adficiat, ita allata observatio nihil nostræ derogat sententiæ; experientia docente, in veri nominis œconomos, utut rerum suarum studiosos, quadrare illud Gallorum: *Savoir perdre à propos*, & hanc ditescendi viam non esse lubricam.

§. VII.

Indolem œconomi, tamquam cosmopolitæ, hætenus consideravimus, progredimur, observaturi, quantum ipsi ad virtutem profici suum studium, si tamquam membrum alicujus societatis spectetur, & primo quidem evictum daturi, quantum ad patriæ suæ salutem conferre & possit & soleat. Tot igitur œconomos se offerunt motiva, ab honestate, utilitate, quin & jucunditate provenientia, natale solum amandi, quot eum commovent, ut in re dubia sibi potius, quam illi deesse velit; novit enim, cum quod nihil sit honestius, quam eam amare societatem, cui suam obstrinxit fidem, tum quod nullum vel utilius vel jucundius sit officium, quum sua & omnium, quotquot

habet carissimos, salus statui patriæ ita innectatur, ut hoc salvo, felicitas illorum singulorum sit salva & florescat. Porro sicut studium œconomicum facit, ut civis commodam in sua patria ducat vitam; ita nec ullam medietur emigrationem. Quod gl. m. Reges nostri perspicientes, multis suis officialibus, præsertim vero militibus, quotquot urbium munitarum præfidia non agerent, certa assignarunt rura, tempore pacis in suam sustentationem excolenda, &, quamdiu militia vacarent, retinenda; quo factum est instituto, ut pauci admodum horum militum, utpote uxorum, liberorum, arborumque suorum non oblitæ, ad hostes transfugiant, in aliis regionibus paria commoda & parem securitatem haud inventuri. Contra ea, qui nullam rei familiaris gerunt curam, patrimonia sua, quantumvis Attalæ conditionibus parum inferiora, quotannis imminui sentiunt, & quum defectum hunc industria refarcire non consueverint, in subsidium fraudulentæ primùm adhibent artes, eisque subruto censui non sufficientibus, in desperationem vertuntur, solatium ex turbis reipublicæ quærentes, privatumque incendium publica ruina, nulla patriæ habita ratione, relinguere non dubitantes; prout hocce stimulo incitatam olim fuisse Catilinariam conjurationem Romani Scriptores perhibent. *Catilinam* enim uti scribit FLORUS, *luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefanda consilia opprimendæ patriæ suæ compulere.* Vid. *Histor. Libr. IV. Cap. I. §. I.*

§. VIII.

Quamvis denique paterfamilias sit societatis domesticæ caput, eique, qua tali, haud pauca competant jura; fatendum tamen est, titulum hunc plerisque esse magis onerosum, quam honorificum, propter multas & graves, quæ

quæ ei incumbant obligationes. Ipsius enim inter alia est officium, omnium ac singulorum, qui ad suam pertinent familiam, prospicere necessitatibus, nonnunquam etiam commoditatibus; quas res tempestive adeo comparare, ut usui suppetant, ancipitem sæpe postulat curam ac circumspeditionem. Sed per partes eamus, & speciatim magis hoc evolvamur argumentum. Si conjuges, memores, quod in societatem tam bonorum, quam fatorum, venerint, conjunctis viribus & in eundem finem rem suam familiarem administrarent, sperare possunt, quin & certo experiuntur, se benedictionem Dei, cujus voluntati se conformiter gerunt, impetraturos, nec non officiorum, sibi injunctorum, præstationem de die in diem evasuram adeo parum difficilem, ut curas domesticas propter harum successum tuas reputent delicias. Hinc porro fortissima mutui amoris existunt incentiva, quem multarum virtutum sequitur exercitium, quo conjugum animi ita uniuntur, ut nihil eos magis habeat sollicitos, quam ne alter alteri forte displiceat, atque ita sociam in re familiari & agenda & administranda desideret operam. Contra ea si conjuges in rebus, salutem familiæ spectantibus, a se iterum iterumque dissentiant, & si quod alter non sine multa collegit molestia, alter mox leviter dissipet, nulla inter eos persistet amicitia, cui gravissimum succedit odium, quod non modo vitiis, sed horrendis etiam sceleribus latam sæpe aperit portam. Præterea conjuges plerique evadunt parentes, quibus incumbit obligatio, suos optimo, quem eorum permittit conditio, modo liberos educandi; cujus officii præstatio, virtutum tam naturalium, quam civilium, fundamentum continens, facile & hilariter ab eis peragitur, qui suam recte instituerunt œconomiam. Immo sollicitæ illorum curæ gratisimus horum animus respondet, unde inter utrosque proba oritur æmulatio, ambiguum faciens, an vel parentes magis ament suam prolem, vel hæc tenerius veneretur vitæ auctores? Ex quo
ani-

animorum concentu & nova obtinentur œconomix ful-
 cra, & novus nascitur virtutum chorus. Denique quum
 ceteri familiares, quo demum cunque nomine veniant,
 hinc continua cernant proborum morum exempla, illinc
 heri & heræ jugiter experiantur humanitatem ac benevo-
 lentiam, & condicito tempore ad tenorem inixæ conven-
 tionis integra accipiant salaria, excitantur, si quid modo bo-
 næ frugis in eorum supersit pectoribus, debitam curam ac fi-
 dem, quarum alleclæ sunt plures aliæ virtutes, in singulis sibi de-
 mandatis negotiis adhibere, secum reputantes, haud exi-
 guam felicitatis suæ partem in hoc verti cardine. Pluri-
 bus quidem adhuc ostendi posset, quantum virtutum cul-
 turæ conducat studium œconomicum, sed vela disserta-
 tionis nostræ jam contrahere non tam suadent, quam ju-
 bent & temporis ratio & rerum mearum habitus, cæte-
 rum me felicem prædicaturus, si ad culturam virtutum
 hoc scripto aliquam conferre potuerim symbolam.

S. D. G.